

## PROBLEMA VIII.

gr

**Venustus.** *Quod si quis eorum ibi mortuus fuisset, quamvis ei poscent pænitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepulture.* Bede Theodosius Imperator, populo in Theatro petenti ab eo gladiatores, respondit, *pium principem oportere non tantum regnare, sed etiam spectare clementer.* Rationem suppeditat Imperator Justinianus in S. i. authent. ait, fortitudinem citra justitiam non esse laudabilem. Appellat enim fortitudinem, quæ cum virtute conjuncta est. Nec male Gemes Selimi Turcarum Regis frater, Romæ à Pontifice Alexander interrogatus post multos ictus, Ecquid ipsi placerent ludicra hæc belli simulacra: *Sancte Pater,* respondit, *si serio hoc sit parvum mihi esse videtur; si in joco, possit etiam id nimium esse.* Vid. Richerum axiom. Eccles. 71. & Camerar. Cent. 2. c. 20 &c 21.

### *IX. An Raptus Virginum Sabinarum excusari possit?*

§. I. Raptus committitur, si quis honestam virginem violenter rapiat, eamque abducat libidinis satiandæ causa ejusque poena ordinaria est capitalis, redundans quoque ad illos, qui flagitio huic opem dederunt. vid. Justinianus lib. 4. Instit. tit. 18. §. 8. licet quoque mulier. l. un. C. de rapt. virg. quem c. tit. vide. Quid igitur de facto Romuli censendum? Bellorum causam fuisse hunc raptum, supra §. 6. diximus: & fortè non immerito. Quod enim per leges vindicari non poterat, armis & ferro justè vindicandum habitum fuit. Sic tota Græcia propter Helenam raptam classem paravit. Lacedæmonii propter stupratas virgines contra Messanos belligerarunt. Ita quoque Sabini adversus Romulum: & alii pro mulieribus cruenta bella gesserunt.

§. II. Verum cum bellorum causæ non leves, sed prægnantes esse debeant: tunc non adeo bella propter mulieres probantur, quod sæpe totarum gentium ac regionum excidium inferant: Vid. Richerum axiom. hist. 104. p. 118. sqq. & Oecom. 238 p. 414. Solet quoque ipsis Raptoribus plerumque raptus, teste historia, in primis, si ex prava libidine commissus est, magno esse exitio. Et quamvis Romulo aliter res ceciderit; non tamen facienda erant mala, ut eveniant bona. Sanè vi & manu capiebantur denegatæ à finitimis, cum tamen alteri suum, nedum liberos per vim eripere, non liccat. Hinc Augustinus admodum ironicè hoc Romuli factum exagitat. lib. 2. de Civ. Dei c. 17. quem Conf. l. 3. c. 13. neque